

sigilli nostri munimine roboratas saepe dictae ecclesiae duximus concedendas. Actum et datum Grimmis praesentibus dilectis nobis nobili viro Al. burcrauo de Liznik, necnon strenuis viris H. de Koldiz, H. de Trebecin, H. dapifero de Burnis, A. de Lappa, Jo. dicto List ac G. de Dewin dicto Cra militibus nostris, necnon aliis quam pluribus militibus, clericis ac armigeris fide dignis, anno dom. M^o. CC^o. XC^o. tertio, die dominico proximo post diem beati Bonifacii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem beschädigten Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 311. 1293. 6. Juli.

Markgraf Friedrich bestätigt die von seinem Oheim, dem Markgrafen Friedrich von Landsberg gemachte Schenkung von Zinsen im Dorfe Cölln (Vorbrücke) an das Hochstift.

Fridericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio et Saxonum comes palatinus omnibus imperpetuum. Cum ea, quae legitime acta sunt per praedecessores nostros, per nostram ratihabitionem et confirmationem firmiter perseverent, universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris volumus esse notum, quod donationem per illustrem principem Fridericum inclitae recordationis Misnensis, Orientalis et de Landesberg marchionem, patrum nostrum karissimum, de duodecim solidis denariorum Vribergensium annuae pensionis de viginti quatuor areis, situs in villa Colne ante pontem Misne dandis, ita videlicet, quod de qualibet area dentur annis singulis sex denarii Vribergenses in festo Walpurgis, ecclesiae Misnensi factam approbamus, ratificamus ac praesentibus confirmamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus litteris duximus appendendum. Datum Misnae anno domini millesimo ducesimo nonagesimo tertio in octava apostolorum Petri et Pauli.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; das beschädigte grosse Reitersiegel des Markgrafen an einem Pergamentstreifen.

No. 312. 1293. 2. Aug.

K. Adolf verfügt, dass das Hochstift 50 Mark jährl. Einkünfte von Gütern, selbst wenn diese Reichstehen seien, unbehindert erwerben könne.

Adolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus praesentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Eius clementia ineffabili, qui vota humilium suscipit et secreta cordium clare noscit, ad regale fastigium revera potius divino miraculo quam humano ministerio evocati ferventibus desideriis affectamus, ut tempore nostri regiminis cultus divini nominis augeatur, militumque Christi, ut eo liberius deo deserviant, in praediis commoda potiora recipiant incrementa. Sane honorabilium virorum .. praepositi, .. decani, .. thesaurarii et capituli ecclesiae Misnensis, dilectorum nostrorum devotorum humilibus precibus favorabiliter inclinati concedimus, permittimus et de benignitate regia indulgemus eisdem, ut a quibuscunque principibus, ministerialibus et vasallis nostris et imperii seu aliorum quorumcunque in augmentum praebendarum suarum quinquaginta marcarum argenti